

GEORGH JACOBI GLADBACH
MEDICINAE DOCTORIS ET PRACTICI ORDINARIJ
FRANCOFURTENSIS

TRACTATIO

DE

MORBIS


A

VESTITU CONTRA FRIGUS
INSUFFICIENTE.



FRANCOFURTI AD MOENUM.
IN OFFICINA MOELLERIANA.
1 7 6 1.





VIRO PERILLUSTRI
EXCELLENTISSIMO
EXPERIENTISSIMO
CAROLO FRIDERICO
KALTSCHMIED

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI,
SERENISSIMI DUCIS SAXO-VINARIENSIS ET ISENACEN-
SIS CONSILIAR. INTIMO CAMERALIUM, SERENISSIMI MAR-
CHION. BRANDENB. CULMBAC. ET SERENISSIMI LANDGR.
HASSO-DARMSTAD. CONSIL. AULIC. ET MEDICO, ANA-
TOMIAE, CHIRURGIAE ET BOTAN. IN CELEBERRIMA IE-
NENSI ACADEMIA PROFESSORI PUBLIC. ORDIN. COMIT.
PALATINO CAESAR. ACADEMIARUM, NATURAE CURIO-
SOR. IMP. COLLEGAE, ELECTOR. MOGUNTIN. SCIENT.
UTIL. ASSESSORI, FACULTATIS MEDICAE SENIORI SPE-
CTABILI, SOCIETAT. ELEGANT. ET SUBLIM. TEUT.
IENENS. INSPECTORI, ITEMQUE PHYSICO PRO-
VINC. IENENSI CELEBERRIMO.

VIRO ILLUSTR.
EXCELLENTISSIMO ATQUE
EXPERIENTISSIMO
ERNESTO ANTONIO
NICOLAI

MEDICINAE DOCTORI

POTENTISS. REGIS BORUSSORUM, NEC NON SERENISS.
DUCIS SAXO - VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AULICO,
CHYM. ET PRAX. IN CELEBERRIMA IENENSI ACADEMIA
PROFESS. PUBL. ORDINAR. ACADEM. ELECT.
MOGUNT, SCIENTIAR. UTIL. SODALI.

NEC NON
V I R O
EXCELLENTISSIMO,
EXPERIENTISSIMO, CLARISSIMO,
JOANNI FRIDERICO
FASELIO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI, ET IN CELE-
BERRIMA JENENSI ACADEMIA MEDICINAE PROFESSORI
ORDINARIO

V I R I S

DOCTRINAE ATQUE ERUDITIONIS AFFLUENTIA, MERITO-
RUMQUE IN REM MEDICAM ET OMNEM REM PUBLICAM LIT-
TERARIAM LONGE SPECTATISSIMIS, PATRONIS SUIS OPTIMIS
PRAECEPTORIBUS OMNI PIETATE AD CINERES USQUE CO-
LENDIS, PROSEQUENDIS,

HANCCE TRACTATIONEM

IN MONUMENTUM

ANIMI DEVOTISSIMI

AC PRO TOT INSIGNIBUS IN SE

COLLATIS SPECIMINIBUS FAVORIS

PATROCINII, GRATISSIMI

CUM VOTIS

PRO PERENNI EORUNDEM SALUTE ARDENTISSIMIS

D. D. D.

SPLENDIDISSIMORUM AC SUMME DEVENERANDORUM
HORUM NOMINUM

OBSERVANTISSIMUS AUCTOR.

JOHANNES REBERG

1788

IN DER DRUCKERIE VON JOHANNES REBERG
IN LEIPZIG BEI DER BUCHHANDLUNG VON
JOHANNES REBERG

DOO RINE ALOU...
LEIPZIG

LEIPZIG
IN DER DRUCKERIE VON
JOHANNES REBERG
IN LEIPZIG BEI DER BUCHHANDLUNG VON
JOHANNES REBERG

LEIPZIG

LEIPZIG





S. D. G.

§. I.

Aërem nostrum ambire corpus, veritas est luce meridiana clarior. Velimus ergo ab aëris injuria v. gr. pluvia, nive, ac frigore esse securi, necessarium est, ut nos contra inclementiam tempestatum defendamus. Fieri hoc potest, si non solum nobis comparemus commorationem, sed etiam omnis generis induamus vestimenta. Quotidiana vero experientia simul docet, vestimenta, curiosius etiam excogitata, sæpenumero nobis haud sufficere, imo ut de illorum usu plus inde damni quam emolumentum experiamur. Nec fortasse Tibi, Lector Benevole, erit ingratum, si ostendam, vestes quoque morbos gignere plurimos, præsertim si licentia sua, prout pleri-

plerique hodie solent, abutantur, dirigere homines ad luxum, lasciviam, vel stultitiam non levem. Quia vero quilibet mortali-um in aëre versari debet, sine eo quoque vita nullius conti-nuare queat, uti istud non solum in aliis Medicinæ partibus distincte demonstratur, sed inter alia etiam antiæ pñevmaticæ experimenta ante oculos ponunt; præmittam, a) ut ea eo cla-riora fiant; quæ dein sum propositurus, quomodo nempe aër, si sit frigidus, nostro corpori inferret detrimentum, b) explica-bo effectus noxios, qui oriri debent, si simul nos non satis à frigore defendamus vestimentis, c) tandem breviter demon-strabo, quale vestimentorum genus, nos à frigore optime de-fendere queat. Supremum vero Numen jubeat has meas me-ditationes in Ejus cedere gloriam, proximique salutem, id est, quod ardentissimis efflagito precibus.

§. II.

Si itaque aëris mentionem facere velimus, duplici modo, uti illud in physicis doceatur, considerare illum licet. Primo in se, secundo, respectu partium peregrinarum in eo conten-tarum. Aër enim est corpus fluidum, in quo partes peregrin-æ sunt contentæ, (per princ. physic.) Quatenus vero in aëre sunt contentæ, eatenus certas, nostro in corpore, producere possunt mutationes. (per princ. Pathol.)

§. III.

Aërem vero tale esse corpus, in quo multas partes pere-grinas esse contentas, satis quotidiana loquitur, experientia.
Verbi

Verbi gratia enim hodie aër est magis, crastino vero die, minus calidus. Est vero aër magis calidus, tunc plures quoque partes igneae in eo sunt contentae, sicque vice versa. Ignis autem est peregrina in aëre pars. Porro, uno die est magis, altero vero, minus humidus. Si fit magis humidus, multas tunc partes possidet aquosas & sic vice versa. Aqua vero est peregrina & non essentialis aëris pars.

§. IV.

Porro aërem tale corpus esse, in quo partes peregrinae sunt contentae, ex his colligimus, quia nempe continuo homines & bruta in aëre versantur. Ex illorum corporibus vero continuate humidum abit, partes ergo abeuntes nullum altum in locum, quam in aërem transire queunt, videmus hinc, aërem semper partibus peregrinis esse repletum. Imo si ad vegetabilia nostrum intendamus animum, semper aliquid ex illis in aërem transire videmus, aquae continuo exhalant, sicque porro. Prouti vero partes peregrinae variant, ita quoque aëris effectus variant, uti illud distincte monstrant Barometra.

§. V.

Si ergo effectus aëris cognoscere velimus, quos praestat, quatenus nostrum in corpus agit, duplici modo, uti §. II. jam dictum, considerare illum possumus. Hoc loco ergo breviter est inquirendum, quale detrimentum aër frigidus homini, ratione sanitatis, inferre valet.

B

§. VI.

§. VI.

Aër si fit frigidus, efficit, ut calor nostro in corpore magis imminuatur. Calor enim transit ex corpore calido in aliud minus calidum & tanto majori quantitate, quo minorem, corpus ambiens, caloris gradum possidet (*) Est ergo aër frigidus, tunc plures particulae igneae ex nostro corpore in eum transire queunt. Quot partes igneae nunc nostro ex corpore abeunt, tot non illico liberantur, hinc calor non potest conservari, vasque simul fiunt rigida, & homo in aëre tali frigido versans, ob circulationem ultimato cessantem, moriri debet. Quo frigidior hinc aër est, eo magis calor imminuitur. Videmus hoc quoque à posteriori confirmatum, quo frigidior enim aër est in hyeme, eo minus perferre possumus frigus.

§. VII.

Aër frigidus viscidum quoque producit sanguinem, Noster sanguis vero audit viscidus, si nullae aut saltem paucae partes specificae leviores in eo sint contentae (per princ. Pathol.) Quoties enim illae in sanguine adsunt, toties contactus immediatus partium specificae graviorum impeditur, hinc quoque cohaesio imminuitur. Partes igneae vero sunt partes specificae leviores, quae fluiditatem sanguini dant (per princ. Physiol.) quo plures ergo in aërem frigidum transeunt, eo pauciores remanent, contactus graviorum hinc augetur & cohaesio earundem in-

(*) Vid. b. HAMBERGERI Elementa Physices Cap. V, de igne.

ter se crescit, sanguis fit viscidior, hic vero impedit circulum
& congestionibus, stasibus, obstructionibus, similibusque an-
sam præbet.

§. VIII.

Breviter igitur cardinalibus effectibus noxiis annotatis,
ex aëre frigido suum ducentibus ortum, eo melius nunc intelli-
gimus illos effectus, qui oriuntur, si simul adhuc vestimentis
nostrum corpus non satis tegatur. In genere hinc perspicimus effe-
ctus illos noxios, qui producuntur ex nimia capitis denudatione.
Plerique mares gerunt pileum, ille defendit tamen caput à pri-
mis aëris accessionibus frigidis, etsi non semper contendere possi-
mus, quod hoc quoque valeat in frigore intensiore. Sed nullo
modo probare possumus modum scëminarum, præsertim an-
nosarum, quando omni fere anni tempore, præsertim vero me-
dia in hyeme, sicque maximo in frigore, caput aut omnino nu-
dum relinquunt, aut tænia, vix sensibili, obiter tantum tegunt.
Certe illæ nullam curam, diligentiamque in valetudine tuenda
adhibent? Caput enim est nobilissima corporis humani pars,
cur illud tam negligenter munire velimus? Positum est in illo
cerebrum, subtilissima vasa sanguifera, qualia toto in corpore
inveniuntur, possidens. Quia igitur subtilissima vasa sangui-
fera in illo sunt posita (per Anatom.) & sanguis per aërem fri-
gidum viscidus existit, eo magis dein in cerebro stagnare de-
bet. Hinc non mirandum est, si dein à tali tenui capitis tegu-
mine, repentini & vehementes dolores capitis, ut Cephalæa,
Hemicrania, Melancholia, Mania, Apoplexia, Paralyfes, Spas-
mi, cæteraque priantur symptomata. Ex his videmus porro,

cur affectus soporosi dein quoque in promptu sint. Per viscidum sanguinem enim vasa, in cerebro, posita, expanduntur, hinc principia nervorum, ex cerebro, ortum suum trahentia, comprimuntur, nullus influxus spirituum in nervis magis procedit, oritur ergo defectus in nervis sentientibus ac moventibus, talis vero defectus tunc audit, Inclinatio ad somnum. (per princ. Pathol.) Hoc vero à posteriori quoque videmus confirmatum. Si enim homines non statim ex tali frigore abeant, spiritus magis magisque imminuuntur, & ultimato in æternum incidunt somnum. Sanguis enim fit magis viscidus, cessat per vasa minima transire, in transitu vero per vasa minima consistunt seceriones (per princ. Physiol.) nulla hinc secerio spirituum in nervis & organa magis adest, hinc actiones vitales & vita tandem ipsa cessant. Imo silentio tandem prætereo, quod in tali vestitu, aures magis aëri exponantur libero, & quia jam natura aëri magis sunt expositæ, talem quoque caloris gradum cæteris paribus non possident. Hinc mirum non est, si Odontalgia, Otagia, atque Catarrhi omnis generis superveniant.

§. IX.

His nunc enarratis, aërem frigidum facile producere stasim, eo minus illi effectus noxii sunt eruendi, quos producit nimia colli denudatio. Nunquam ordinarie collum virorum cernimus nudum. Focale circumvolutum, per æstatem etiam, illud regit. Ast in sexu sequiori, in media quoque hyeme, nudum conspicimus, & etsi quoque quædam collari, in adulta hyeme, v. gr. ex pelle parato, utantur, cavent interim ar-

etiam

Etiam illius conclusuram, sed potius extendunt, ut spectato-
rum oculi ex illo capiant fructum. Sed revera illis pulchritu-
do magis, quam sanitas, cordi esse debet, cum tamen sæpius me-
lius esset, si plus illud occultent, quam si nimis denudent, quia
experientia loquitur quotidiana, non omnibus esse cutem candi-
dam, ac sine maculis. Hinc non mirandum, si dein tumores
glandularum colli sublingualium, tonsillarum, uvulæ, rauce-
do, angina, tussis, oriantur, quia hac ratione quasi invitentur.

§. X.

Ejusdem furfuris quoque sunt effectus, ex nimia pecto-
ris denudatione originem suum ducentes. Multræ scæminæ,
magnum formositatis momentum, in denudatione pectoris col-
locant, præsertim vero, si sint bene mammosæ, eum quoque
in finem denudant pectus, ne spectatorum oculis obicem po-
nant, & sic ostendere quasi velint, vim frigoris intrepide
perferre posse. Experientia vero multoties jam comprobavit,
quod talia subiecta, suo dein fateri debeant damno, vehe-
mentiam frigoris majorem, quam crediderunt, fuisse, pleuri-
ride inde contracta, sæpiusque admodum periculosa. Imo mi-
hi persuadeo, quod non inepte contendam, si dicam, quod
scirrhi, in mammis hodie tam frequenter occurrentes, ut plu-
rimum nimie illarum denudationi, ortum quoque debeant suum.
Mammæ enim intus ex glandulis conglomeratis sunt con-
structæ (per Anatom.) & omnes glandulæ vasa possident au-
gusta, (*) hinc eo magis sanguis, per aërem frigidum visci-
B 3 dus

(*) Vid. mea Dissertatio inauguralis de Scirrho in genere, sub Præsidio
Dni D. KALTSCHMIED, Præceptoris ad urnas usque deveneran-
di, Jenæ MDCCLIX, habita.

dus factus, stagnare debet, & tales tumores duros, in-
 dolentes, scirrhus dictos, formare. Porro experientia nos
 docet, quod Febris continua acuta, Pleuritis, Peripnevmo-
 nia, Pleuropnevmonia, Phthisis, à refrigeratione oriuntur,
 & non est mirandum, sed quod mirandum, tales morbos
 non solum tempore hyemali a refrigeratione oriri, verum
 etiam media in æstate, si post sudores largos vestimenta
 abjiciantur, quibus enim transpiratio insensibilis mox impe-
 ditur & dein congestionibus, stasibus, præbetur occasio. Super-
 flue tandem experientia quoque loquitur, infantes, aërem libe-
 rum nondum ingressos, lectum, hypocaustumque debite calefa-
 ctum, nunquam adhuc deserentes, haud raro tamen in ventris
 incidere tormina, & si accuratius rem examinemus, ex culpa
 mere nutricis, si non rite custodiverit calorem mammarum, in
 publicum exitura.

§. XL.

Multi imo quandoque viri robusti colicis tentantur dolo-
 ribus, si abdomen refrixerint. Nec pauci incidunt in Diarr-
 hæam, quando infimum ventrem obiter tantum tegunt. Mul-
 ti quoque vexantur Dysenteria, si abdomen aut tenuatim cu-
 stodiant, aut nimis longe aëri vespertino se exponant. Nihil
 rarum est, scæminas sæpius passionibus affligi hystericis, si ab-
 domen contra frigus uteroque adeo inimicum, non sufficienter
 se muniverint. Multæ scæminæ sæpius sibi contrahunt suppres-
 sionem mensium, non aliam ob causam, quam ob subitanam
 refrigerationem, si nempe, tenui amictu contentæ, infimum
 ventrem, contra frigus & utero adeo perniciosum, non satis
 texe-

texerint. Multiplex experientia jam docuit, puerperas, si abdomen refrixerint, aut statim lochia suppressa, aut prorsus mortuas fuisse. Si tandem artus, manus, pedesque advertamus, distincte videmus, à frigore has partes quoque lædi, si non satis semper velimus custodire. Inter alia hæc confirmant pernicioses illis in locis occurrentes.


§. XII.

Explicatis breviter igitur effectibus noxiis, ortis, si corpus non sufficienter vestimentis custodiatur, paucis adhuc narabo, quali vestimentorum genere nostrum corpus à frigore optime posse regi. Supra §. VI. audivimus, aërem frigidum particulas igneas nostro ex corpore auferre, mox in majori, mox vero in minori quantitate, prouti nempe aër vel magis vel minus est frigidus, hinc talibus vestimentis esse utendum, mediantibus quibus particulae igneae non in tanta abeunt quantitate, aut si jam abeant, illarum tamen defectus non fiat sensibilis. Cum vero ex physicis constat, transitum partium ignearum, semper gravitati specificae esse proportionatum, perspicuum est, quod hæc requisita, corpora mollia & gravitate specifica minori gaudentia, optime habeant. Experientia nobis hæc quoque affirmat. Videmus enim quod pelles & vestimenta ex serico parata, optime hæc præstent. Sunt enim hæc corpora mollia & gravitatem specificè minorem habentia, partim ergo non tantum caloris absorbere possunt, partim quoque impediunt, ne tam multae particulae igneae in aërem liberum transire queant.

01 A 6528

ULB Halle 3
002 928 698







GEORGH JACOBI GLADBACH
MEDICINAE DOCTORIS ET PRACTICI ORDINARIJ
FRANCOFURTENSIS

TRACTATIO

DE

MORBIS

A

VESTITU CONTRA FRIGUS
INSUFFICIENTE.



FRANCOFURTI AD MOENUM.
IN OFFICINA MOELLERIANA.
1 7 6 1.

